



9806
No: 883.

1771, 37.

COMMENTATIONVM
AD
CONSTITUTIONES IVLIANI IMP.
SPECIMEN II.

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTTLLOB EINERTO

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE

DOCTORE

D. XVII. OCTOBER. CIOCCCLXXI.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

FRIDERICVS AVGVSTVS TZSCHOECKEL

F R I B E R G . M I S N .

L I P S I A E ,

E X O F F I C I N A B R E I T K O F F I A .



CONSTITUTIONES
LIBERTATIS IMP
REPUBLICA
HISTORIAS
CHURCHIS
LITERARIA
ET
ARTISTICAS

VIRIS

*EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSLIMIS, IV-
RIVM CONSVLTISSIMIS, REI METAL-
LICAE PERITISSIMIS, PRVDEN-
TISSIMIS,*

CONSVLIBVS

PRAETORIBVS

RELIQVISQVE

SENATORIBVS GRAVISSIMIS

INCLXTAE

CIVITATIS FRIBERGENSIS

PATRONIS OPTVMIS.



H V N C

LIBELLVM ACADEMICVM

E A,

QVA PAR EST,

ANIMI SVBMISSIONE ATQVE PIETATE

OFFERT ET CONSECRAT

FRIDERICVS AVGVSTVS TZSCHOECKEL.



VIRI

EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, IVRI-
VM CONSULTISSIMI, REI METALLI-
CAE PERITISSIMI, PRVDEN-
TISSIMI,

PATRONI ATQVE FAVTORES,
PIE DEVENERANDI!

Cuum in eo essem, ut industriae a me adhibitae specimen, quod sapientissimi Legislatoris iussus ab omnibus, qui iurisprudentiae operam nauant, postulat, academicorum annorum spatio maxima ex parte decurso, disputando ederem: VOBIS in primis, PATRES GRAVISSIMI, tum, ut officio clientis quodammodo satisfacerem, tum, ut VOBIS, quibus multis nominibus me obstrictum esse scio, studiorum meorum rationem redderem, et gratam acceptorum beneficiorum memoriam palam testarer, hunc libellum, quem meum fecit Celeberrimi et Consultissimi Praefidis beniuolentia, inscribendum et dedicandum esse putaui. Etenim non modo urbem Fribergam prudentissima et fidelissima VESTRA

administratione felicissimam florentissimamque, matrem ap-
pello, sed et pater meus, cuius mors acerba mihi nuper
attulit dolorem grauissimum, VOBIS in tutelam ac pa-
trocrinum me tradidit, VOS autem, PATRES GRA-
VISSIMI, eius precibus locum deditis; et eo mortuo
aeque ac viuente beneficiis numero plurimis, opinione in-
expectatis, tempore opportunis, genere ipso praelaris
me exornastis. Quae VESTRA beniuolentia eximia et
indulgentia, qua iam de aliorum speciminibus iudicasti,
spem mili fecit certissimam, fore, ut hunc libellum beni-
gnissimo vultu excipiatis. Deus VOS in reipublicae de-
cus ac salutem saluos et incolumes omnique genere prospe-
ritatis florentes quam diutissime conseruet, et VESTRA
saluberrima consilia fausta fortunataque esse iubeat. VOS.
autem, PATRES GRAVISSIMI, si VESTRO
fauore VESTRA que tutela imposterum quoque me com-
plexi fueritis, (quod, ut faciatis, VOS etiam atque et-
iam oro et obsecro) de tanto beneficio non solum mili ve-
hementer gratulabor, et splendorem NOMINUM VE-
STRORUM pia et perpetua veneratione colam, sed et
ad litterarum studium acre et indefessum magno opere me
excitabit atque confirmabit.

Scripsi Lipsiae d. xv. Octobr. CCCCCCLXXI.

PRAE-



PRAEFATIO.

Neo, quem primum emisimus de Constitutionibus Iuliani Imp. libello, ea, quae aut Christianorum, aut Iudeorum, aut Gentilium causa sanxerat, ex ipsius scriptis, adhibito tamen aliorum scriptorum testimonio et auctoritate, exposuimus. Restat ergo e consilio nostro, ut et ea ex iisdem fontibus hausta, in hunc libellum derivemus, quae vel statum et res singularum ciuitatum urbiumque, vel hominum singulorum commoda et incomoda spectant. Sed priusquam ipsum argumentum tractaremus, paucis visum est praefari et occurrere reprehensioni eorum, qui, cum videant has Constitutiones Iuliani, de quibus maxime nunc diximus, in singularum urbium et hominum rebus versari, fortasse operam et studium nostrum, tanquam in rebus minutis et leuis occupatum, contemnendum, aut vituperandum esse censebunt. Li enim, qui haec reprehendere sustinebunt, non solum ignorare videbuntur, in iis rebus, quae ad historicam scientiam Iuris faciunt, nullam diligentiam esse superuacuam et vituperandam, nec minus saepe e rebus tenuibus, quam illustribus principum mores cognosci posse, nec ipsum Iulianum

lianum tantum, sed et alios scriptores haec memoratu digna iudicasse; verum etiam grauissimorum et clarissimorum historicorum, qui aut res gestas ciuitatum gentiumque prodiderunt memoriae, aut in singulorum hominum vita factisque commemorandis sunt versati, studium, consuetudinem et consilium improbabunt. Quis enim ignorat, saepe etiam ab illis scriptoribus res ad communem utilitatem minus necessarias, ad posteriorum memoriam tenues, ad illorum, de quibus exposuerunt, gloriam minus illustres, et ad imitandum non admodum probabiles cum illustrioribus et grauioribus rebus tamen laudabiliter esse coniunctas? Nam non solum ciuitatum et principum origines et natales, studia, mores, ingenium, potentiam, disciplinam militarem, labores belli, administrandae reipublicae prudentiam, fortunae in rebus humanis vel fortunandis fauorem, vel impugnandis iniquitatem, vel conquertendis inconstantiam notarunt: Sed saepe etiam principum hominumque nobiliorum rationem vitae, habitum corporis, victum, supellecillum, coniuiorum apparatum, sermones familiares, consuetudinem domesticam, iocose, acute grauiterque dicta, consignata litteris, posteriorum memoriae prodiderunt. Ergo nemo nobis, vt opinor, iure succensabit, si, quae ad historiam Iuris pertineant, quae a Juliano ipso aliisque scriptoribus sint memorata quaeque, tametsi in rebus minus memorabilibus versantur, ingenium huius Imperatoris declarent, exemplum clarissimorum nobilissimorumque historicorum fecuti, tradiderimus et examinando diiudicauerimus. Iis itaque remotis, quae obstatre nobis posse putabamus, ad rem ipsam accedimus, et in hoc libello de Constitutionibus Juliani Imperatoris, quae singulas ciuitates, aut homines singulos spectant, exponemus, initium facturi ab eis, quae Edessendorum causa sanxit.

CAPUT

CAPUT IV.

DE SINGVLJS VRBIBVS.

§. I.

*De Arianis Edeissenis eiusque urbis ciuibus
reliquis.*

Τῶν Ἀριανῶν τὰ χρήμata τῆς Ἐδεσσηνῶν ἐκκλη-
σίας ἀπαντα πελέυομεν ἀναλιφθῆναι, δοδισόμενα
τοῖς σεριώταις καὶ τὰ ιτήμata τοῖς ἡμετέροις
προσεδῆναι πριβάτοις τοῖς ὄικοις δὲ τὴν Ἐδεσσαν
προαγορέυομεν ἀπέχεδαι πάσις σάσεως καὶ φι-
λονειμίας.

PECVNIAES EDESENORVM, QVI SVNT AB ECCL-
SIA ARIANORVM TOLLI IVBEMVS, VT MILI-
TIEVS DIVIDANTVR, ET POSSESSIONES, VT
PRIVATIS NOSTRIS ATTRIEVANTVR: CIVES
AVTEM EDESENNI OMNI SEDITIONE ET CON-
TENTIONE SE ABSTINEANT, PRAECIPIMVS.

Julian. Ep. XLIII. p. 424. Baron. ad ann. 362. no. 14.

De Hecebolo, ad quem haec epistola est scripta vid.
Socrat. L. III. c. 13.

Πριβάτοις] Priuati opponuntur militibus, nec tantum
hoc vocabulum notat eos, qui publica munera non ge-
runt, sed et, vt hoc loco, qui sub principe muneribus ci-

B

uilibus

uilibus funguntur, vid. Aelii Lamprid. Alex. Sev. c. 58 et Plin. Ep. II. 1, 2.

Ariani Edessae (vrbis Syiae. vid. Stephanum Byzant. in h. v.) vt ex hac epistola apparet, diuitiis freti et luxuriantes, dederant turbas. Ergo horum pecuniam et opes publicari iussit, nullo, vt opinor, alio consilio, quam vt eis occasionem seditiones mouendi adimeret, et, vt ex aliorum bonis liberalis, suorum sibi animos conciliaret, quanquam ipse hanc malignam et inuidiosam causam interseruit, se eis secundum euangelium voluisse expeditorem et faciliorem facere viam ad regnum coelorum.

Edeissenis autem reliquis ne moueant seditionem, igne, exilio, gladio minatur.

§ 2.

De tributis Thracum.

Μέχρι μὲν τῆς τρίτης ἐπινεμήσεως αὐθίσμεν ὑμῖν πάντα, ὅσα ἐκ τῆς φθάνοντος ἐλλείπει χρόνος· μετὰ τῶν δὲ εἰσοίσετε κατὰ τὸ ἔθος.

V S Q V E A D T E R T I A M I N D I C T I O N E M V O B I S O M N I A
R E M I T T I M V S , Q V A E E P R A E T E R I T O T E M P O -
R E R E S T A N T : P O S T H A C A V T E M C O N F E R E -
T I S P R O V T M O S E S T .

Julian. Ep. XLVII. p. 428.

Hanc indulgentiam ad Thraices pertinere ex inscriptione Barocciani codicis docet Petavius ad h. l. Meminit huius

ius in remittendis tributis liberalitatis tum Ammianus Marcellinus Lib. XXV. c. 4, tum ipse Julianus in Misopog. p. 365. b. Videntur autem Thraeces sub Vespasiano facti esse Romanis vestigales, ab eo certe Thracia redacta est in formam prouinciae, vid. Eutrop. p. 110. v. 32. ed. Sylb. et Sueton. Vespaf. c. 8.

§. 3.

De reuocandis in curias decurionibus.

Ιελιανὸς Βυζαντίοις.

Τές βελευτὰς πάντας ὑμῖν ἀποδεῶκαμεν, καὶ τές πατροβέλες, εἴτε τῇ Γαλιλαίων ἑαυτὲς ἔδοσαν θηροείᾳ, εἴτε ὅπως ἀλλως πραγματέυσαντο διαδέναντι τὸ βελευτήριον, ἐξώ τῶν ἐν τῇ μητρόπολει λελειτεργυκότων.

DECVRIONES OMNES VOBIS REBIDIMVS, ET PATROBVLOS, QVI VEL GALILAEORVM SE ADDIXERANT RELIGIONI, VEL ALIO QVO MODO STVVERANT EFFVGERE CVRIAM, PRAETER EOS, QVI IN METROPOLI MVNERA GESERVNNT.

Iul. Ep. XI. p. 380. Zosimus Lib. III. II. Ammian. Marcell. p. 329, 330. et ad h. l. Vales. Libanius p. 296. d. Petavius in animadvers. ad Julian. p. III. 112. Baron. ad ann. 362. no. 44.

Pertinet hoc edictum, vt inscriptio docet, ad Constantinopolitanos, quos tamen maluit veteri nomine appellare, ne illo nomine videretur tribuere honorem Constantio, quae est sententia Baronii.

[Πατροβέλους] antea legebatur πατροκόλες, quae vox nihili est. Codicis autem Anglicani fuit lectio πατροβέλους. Hinc Petauius legendum censet πατροβέλους. Πατροβέλοι sunt, vt idem comparando Synesio docet, qui πατρώναν βώλον ὑποτελή h. e. paternam glebam tributis obnoxiam nacti sunt. Hoc tributum a Constantino follis nomine constitutum, (vid. Zosim. Lib. II. c.38.) et post Constantinum diu obseruatum, a Constantio abrogatum, aut certe minutum, vt ex Libanio p.297. copiicere licet, qui eum διδόνεις παραχέμεται, h. e. dedisse immunitates contra leges, scribit, eodem Libanio teste, a Juliano renouatum est. Ob hoc tributum autem multi variis de causis se subduxerant oneribus et muneribus senatoriis, et curiae derelictae fuerant. Igitur eos omnes reuocauit Julianus, neminem immunem mittens, praeter eos, qui Romae munera gesserant. Infra tamen videbimus etiam medieis hanc immunitatem fuisse concessam. Caeterum, vt ne quid dissimulemus, nobis non plane probatur coniectura Petauii, praesertim cum intelligere non possimus, quomodo ii, qui paternam glebam tributis obnoxiam essent nacti, aut curiam effugere, aut coniungi cum senatoribus potuerint. Ergo seruata lectione vulgata, et adhibita in consilium etymologia πατροβέλους eos dici potuisse putamus, qui aut patricii essent, aut, quod magis etiam placet, eos, qui inde a maioribus in senatorum numero essent habiti. Hi enim bene et apte iungi possunt reliquis senatoribus, et eos a Juliano reuocatos esse in curias, maxime est probabile.

etrs

ἔτε — θρησκεία, ἔτε οὐπος ἀλλως] Christiani enim metu in primis, ne se contaminarent superstitione Gentilium, (erant enim multa a senatoribus agenda abhorrentia a religione Christiana) curias vitabant, reliqui autem detrectabant onera et labores multos et magnos cum senatorio munere coniunctos. Ergo interdum poenae loco sunt addicti curiis, vid. Merill. Obs. VII. 26. Brisson. Antiqu. Iur. Ciu. IV. 13. Eu. Otto de Aedil. Colon. et Municipal. C. V. §. 5.

§. 4.

De immunitate Argiuorum a tributis pendendis.

Ἄργειοις, ὅποι Κορινθίων ἀδίκιας ἡναγκασμένοις Φόρους τελεῖν, ἀτέλειαν εἶναι.

UT ARGIVI, A CORINTHIIS INVSTE COACTI
PENDERE TRIBUTA, IMMUNES SINT.

Iul. Ep. XXXV. p. 407. et Petau. ad hanc ep. p. 116.
et 121.

Argui a Corinthis praeter ius coacti nouum tributum soluere, acceſſerant, vt ex hac epiftola coniicere licet, Julianum nondum quidem Imperatorem, ipſis tamen benevolum, eumque, vt ipſorum cauſam commendaret proconsuli Achiae (quae eſt Petauii coniectura) rogauerant. Legatos mittunt Diogenem et Lampriam, qui apud iudicem eorum cauſam agant. Hos Julianus ſuo testimonio ornatos et probatos iudici huius litis commendat hac epiftola. Eius autem pars reliqua tota verſatur in demon-

stranda laude Argiuorum et iniustitate Corinthiorum. Argumenta Iuliani, quibus persuadere conatur, omnia sunt repetita ex historia, quibus efficitur, ut Corinthii praeter mores et iura maiorum hanc sibi in Argios tyrannidem vindicare videantur. Verba, quibus persuasus Petaius hanc epistolam a Iuliano, adhuc priuato, scriptam putat, haec sunt: Ὡτὶς δὲ χρεῖ καὶ τοῖς πρεσβείαιν τὸντην προσάγεσθαι διὰ ἡμῶν πειθῆναι, μηχαὶ προδῆναι χρεῖ περὶ αὐτῶν, h. e. Debere autem iis, qui hanc legationem obeunt, per nos concedi, pauca de iis (legatis) addenda sunt. Hic Petaius interpretetur reprehendit, qui πρεσβείαν interpretatus est legationem, putatque melius appellari, suffragationem et supplicationem. Vellemus autem, docuisse, ubi πρεσβέες notet suffragationem aut supplicationem, quod ut doceri possit, veremur. Etsi autem argumentum, quo nititur Petaius, quodque ductum est ex verbo πρεσβείως minus est idoneum; tamen ex aliis apparet, hanc epistolam a Iuliano priuato esse scriptam. Nam vbiique plus rogando suadendoque, quam iubendo iudicem huius causae in partes Argiuorum trahere studet, eiusque arbitrio totam rem permittit, vid. in primis p. 410. a. et 411. b. Caeterum, ne videremur aliquid omisso, nec huius vel fussionis vel legis mentionem facere negleximus. Praeterea hoc loco monendum duximus, esse hanc epistolam ad historiam perutilem. Bene enim Iulianus Argiuorum et Corinthiorum res et mutua inter se vincula et conditionem, inde a primis temporibus repetens, explicat.

CAPVT

CAPVT V.

*DE SINGVLIS HOMI-
NIBVS.*

§ I.

Dē eiicendo Athanasio.

Πρὸ τῶν δεκεμβρίων καλανδῶν τὸν Θεοῖς ἔχθρον Ἀ-
Θανάσιον Ἀλεξανδρείας, μαλλον δὲ καὶ πάσις τῆς
Αιγύπτου ἐξελθεῖν κελέυομεν.

ANTE KALENDAS DECEMBRES INIMICVM DIIS A-
THANASIVM EX VRBE ALEXANDREA, IMMO
EX VNIVERSA AEGYPTO DISCEDERE IVBEMVS.

Iulian. Ep. VI. p. 376. Ep. LI. p. 432. 435. Ep. XXVI.
p. 398. Sozom. Lib. V. c. 15. Socrat. III. 4. Baron. ad
ann. 362. no. 239. sequ.

Iulianus eiiciendi Athanasiū has commēmorat causas.
Primum ei vītio vertit, quod se imperante, foeminas
nobiles religiōni gentili addictas ad baptisma impulisset.
p. 367. c. Secundo exilio et odio dignum iudicat, vt
eiuer fraudulentum, seditionis et rerum novarum stu-
diosum. Πανθέγον enim eum appellat, et πολυπρόγυμνα
adeoque ἀνεπιτίθεσιν προσατένεν δίμου, p. 435. c. Ter-
tio accusat Athanasiū impudentiam et audaciam, qui
multis multorum Imperatorum edictis electus, ne vnum
quidem Imperatoris edictū, quo reuocaretur, expe-
ctasset,

etasset, sed pro lubitu suo rediisset. p. 398. c. Quar-
to negat se electis a Constantio Christianis ad ecclesiam
reditum, sed tantum in ipsorum patriam concessisse:
Athanasium autem adeo occupasse thronum episcopalem.
p. 398. d. Quinto Alexandrinorum se in ea re habere
rationem, qui aegre ferant, Athanasium reversum esse.
Abusi autem erant Alexandrini in detrimentum Athana-
sii responsis magorum et haruspicum, ut ait Rufinus Lib. I.
c. 33. qui salvo Athanasio nihil vspiam prospere successu-
rum esse contenderant.

§. 2.

De conquirendis Georgii libris.

Τὰ Γεωργία βιβλία ταῦτα ἀλλα, καὶ δὴ καὶ ἡ πε-
ρὶ τῆς τῶν δυστεβῶν Γαλιλαίων διδασκαλίας συ-
έγραψεν (ἀβελοίμην μὲν ἡφαίσθαι πάντι) ζη-
τεῖθαι κελέων. Ἡγεμών δὲ τῆς ζητήσεως ἔσω
σοι τάυτης ὁ νοτάριος Γεωργίας, ὃς μετὰ πίσεως
ἀνιχνέυσας ἀυτὰ, γέρως ἔσω τευχόμενος ἐλευθε-
ρίας, εἰ δὲ ἀλλως πως γένοιτο κακέργος περὶ τὸ
πρᾶγμα, βασάνων εἰς πεῖραν ἔξων.

GEORGII LIBROS TUM ALIOS, TUM EOS, QVOS
DE IMPIORVM GALILAEORVM DOCTRINA COM-
SCRIPSIT, (QVOS VELLEM PENITVS TOLLIV)
QVAERI IVBEO. AD EOS CONQVIRENDOS AD-
HIBE LIBRARIVM GEORGII, QVI, SI BONA FI-
DE EOS PERSCRVTAVERIT, SCIAT PRAEMIVM
SE

SE ACCEPTVRVM LIBERTATEM, SIN MALVS
FVERIT VISVS IN HAC RE, TORMENTIS CO-
GETVR.

Iulian. Ep. IX. p. 378. Ep. XXXVI. p. 4II. Baron. ad
ann. 362. no. 161. seq.

Duo edicta extant Iuliani de conquirendis libris Ge-
orgii, alterum ad Ecdicium praefectum Aegypti, alterum
ad Porphyrium quendam.

In illo simulat Julianus, se studio ingenti litterarum Georgii libros desiderare, et Ecdicum rogat, ut sibi hac in re gratificetur, in hoc autem magis aperte agit, et Porphyrio eisque, qui Georgii libros retinerent, prae-
sertim qui pertineant ad religionem Christianam poenas et tormenta minatur. Ergo facile intelligitur, cum hoc edicto voluisse cauere, ne libri Georgii Christianis se-
ctae Arianae prodeissent. Fuit autem Georgius episcopus Alexandrinus Arianus, homo dirae crudelitatis, sor-
didae auaritiae, Christianis catholicis aequa ac gentili-
bus molestus et infensus, qui neglecto episcopi munere et officio a docendo et opitulando ad nocendum et ac-
cusandum operam suam transferebat. Is patulas Con-
stantii aures, apud quem plurimum valebat, criminibus tam Christianorum, quam Gentilium implere et delecta-
re eiusque potestate ad aliorum detrimentum abuti soli-
tus, ab Alexandrinis crudeli suppicio affectus, anno CCCLXII. tandem ingenti cum gaudio omnium magna
potius, quam honesta sui relicta fama et memoria e
medio sublatus est, vid. Baron. ad ann. 362. no. 161. So-
crat. III. 2. Epiphan. Haeres. LXXVI. Ammian. Mar-
cell. XXII. II.

C

§. 3.

§. 3.

De medicorum immunitate a munieribus senatoriis.

Touς ιατρούς τῶν βελευτικῶν λειτουργημάτων ἀνεγκλήτους εἶναι κελέυω.

MEDICOS A SENATORIES MUNERIBVS LIBEROS
ESSE IUBEO.

Iulian. p. 398. b.

Commendat medicorum scientiam, vt utilem hominibus et laudabilem, eosque a senatoriis oneribus, aequitatis rationem, (vt ait,) superiorumque Imperatorum auctoritatem et vocem fecutus, hoc editio liberat. Qui autem de variis medicorum immunitatibus inde ab Augusti temporibus plura cognoscere cupit, is adire potest Menagium Amoenitat. Iur. Ciu. c. 35. et Briffonium Antiquitt, Iur. Ciu. Lib. II. c. 3.

§. 4.

De renuncando Aetio episcopo.

Αέτιον ἐπίσκοπον, πεφυγαδευμένον ὑπὸ Κωνσαντία
κατίεναι κελέυομεν.

AETIUM EPISCOPVM, ELECTVM A CONSTANTIO,
REDIRE IUBEMVS.

Iulian. Ep. XXXI. p. 404. Sozom. V. in fin. Baron. ad
ann. 361. no. 15.

Aetium

Aetium Eunomianae sectae auctorem a Constantio exilio mulctatum, ob consuetudinem et familiaritatem, quam habuerat cum eo, in patriam restituit Julianus. Acceptus etiam fuit Gallo, fratri Juliani, ut ex istius ad hunc epistola apparet, Oper. Ital. p. 454. e. Eiectus autem fuerat Aetius a Constantio missusque in exilium in quendam Phrygiae locum ob impietatem, quia dixerat Deum patrem et filium diuersos esse essentia. Rem omnem, ut gesta est, late accurateque persequitur Theodoretus Hist. Ecel. Lib. II. c. 27. et 28.

§. 5.

De reuocando Zenone medico.

Zēnona iātēgōn ἀδίκως ἐξοριθέντα κατελθέν κελέου-
μεν.

ZENONEM MEDICVM INIVSTE ELECTVM, REDIRE
IV BEMVS.

Iulian. Ep. XLV. p. 426, Baron. ad ann. 361. no. 14.

Zeno Alexandrinus medicus a Georgio, de quo paulo ante diximus, Constantii temporibus eiectus, deprecantibus Alexandrinis, hoc edicto reuocatur, et in patriam restituitur. Caeterum, vtrum hic sit ille Zeno, cuius Suidas, an cuius Eunapius meminit, an denique plane diuersus ab his duobus, non certo potest dici. Fit tamen probabile, fuisse illum, cuius vitam scripsit Eunapius p. 177, qui, eum artem medicam professum esse temporibus Iuliani et medendo et docendo, dicit.

C 2

§. 6.

§. 6.

De eiicendo Tito episcopo.

Τίτον ἐπίσκοπον, ὡς κατάγορον ὑμῶν, τῆς πόλεως
διώκετε.

TITVM EPISCOPVM, QVI VOS (APVD ME) ACCV-
SAVIT, EX VRBE EIICITE.

Iulian. Ep. LII. p. 438. a. Sozom. V. 15. Baron. ad
ann. 362. no. 155.

Hac ad Bostrenos (ciuitas est Phoenices ad mare sita) data epistola praecepit Titum Episcopum istius urbis, cuius inter eos, qui Concilio Antiocheno interfuerant, apud Socrat. III. 21. mentio fit, eiici. Hic in primis Iuliani apparet fraus et malignitas, quam alias plerumque celare solet. Nam eum Titus in sua ad Iulianum epistola scripsisset, Bostrenos suo suauitu et hortatione a seditionibus esse reuocatos ad modestiam, non dubitauit Imperator his verbis vti ad criminandum apud populum episcopum et reliquos clericos, vt eos inter se commissos ad mutuum odium concitaret. Quod quam alienum sit a moribus et grauitate non dicam principis, sed cuiusque viri honesti, non est opus pluribus docere.

§. 7.

Quendam sacerdotem gentilem arcet a sacris.

Ἄπαγορέων τοι τρεῖς περιόδες σελήνης μὴ τῶν εἰς
ἱερέα μηδεν ἐνοχλεῖν. Εἰ δὲ ἐν τέτω τῷ χρόνῳ
Φανεῖς

Φανέις ἀξιος, ἐπισείλαντος μοι τῇ τῆς πόλεως
ἀρχιερέως, εἰ παραδεκτὸς εἴης ἡμῖν, ἐσαῦθις μετ-
τὰ τῶν Θεῶν βελέυσομαι. Τάυτην ἔγώ σοι τῆς
προπετείας ἐπιτίθυμι ζημίαν.

INTERDICO TIBI TRES MENSES NIHIL EORVM,
QVAE AD SACERDOTEM PERTINENT, TRACTA-
RE. SI AVTEM INTRA HOC TEMPVS DIGNVS
VIDEBERIS, DOCENTE ID ME PER EPISTOLAM
CIVITATIS ANTISTITE, VTRVM SIS ADMIT-
TENDVS, POSTEA CVM DIIS DELIBERABO.
HANC EGO TIBI PETVLANTIAE POENAM ESSE
VOLO.

Iulian. Ep. LXII. p. 451.

Haec specialis constitutio ad sacerdotem gentilem per-
tinet, cuius nomen vna cum epistolae initio intercidit.
Intelligitur autem ex reliqua huius epistolae parte eum id-
eo a munere sacerdotali esse remotum, quia alium sacer-
dotem verberauerat.

§. 8.

Theodorum praeſicit ſacrī in Asia.

Θεόδωρον ἀποδείκνυμι ἀρχοντα τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν
ἰερῶν ἀπάντων.

THEODORVM CONSTITVIMVS ANTISTITEM SA-
CRORVM OMNIVM IN ASIA.

Iulian. Ep. LXIII. p. 452. sequ.

C 3

Theo.

Theodorum valde familiariter per hanc epistolam appellat, eumque totius Asiae sacris praeficit. Admonet porro, ut munus suum fideliter obeat, tanquam qui post mortem etiam praemia, animo superflite, expectare possit. Probitatem et humanitatem erga omnes summopere ei commendat, et, ne ab institutis maiorum recedat, horretatur, argumento ducto a Iudaeis, qui nullis poenis, nulla vi aut praemiorum spe a moribus patriis se dimoueri patientur.

Haec sunt, quae ex scriptis Juliani notari, et comparandis aliis scriptoribus, qui in eadem re versati sunt, explicari atque confirmari ad Iurisscientiam pertinere duimus. In quibus, si quid a nobis fuerit erratum, putamus facile ab humanitate et benevolentia legentium veniam nos impetraturos esse, quia in tanta scriptorum multitudine, qui consulendi fuerunt, vix satis ab errore caueri potest.



DOCTIS-

DOCTISSIMO
ATQVE
ORNATISSIMO DEFENSORI
S. P. D.
PRAESES

Quoniam ego sum animo et ingenio, ut facile libenterque
aliorum successibus optatis laetisque laeter, iis praesertim,
in quibus sibi maiorem partem virtus, quam fortuna vine-
dicat, quod haec demum, quae virtute industriaque comparatur, ve-
ra felicitas et laus censenda est: Tamen ut TWO honore laeter TIBI
que gratuler, multae mihi grauiissimaeque causae intercedunt.
Nam, ut TIBI bene cupiam TEque amicitia et amore amplectere,
non solum familiaritas et amicitia, quae quondam fuit inter parentes
nostros maxima et integerrima gratissimaque incer erga parentem TV-
VM, nunc huius vitae laboribus et incommodis defunctum memoria,
et patria TVA, quae mihi longe omnium est carissima (vtrunque
enim parentem mihi est largita) facit, sed et virtutes TVAE, ut
TE semper maximi facerem, et TIBI omnia, quae votis expetun-
tur, contingere vellem et optarem, me impulerunt. Quis enim ita
sit inquis et inuidus, ut nec ingenium TVVM litteris et humani-
tate excultum, nec studiorum TVORVM honestatem, nec morum
probitatem et severitatem in adolescentie praesertim admiretur et su-
spiciat? Quae porro res facilis potuit meum TIBI conciliare amo-
rem et benevolentiam, quam quod tanta affiduitate et studio mihi va-

rias



918

rias Iurisscientiae partes explicanti et tradenti ita strenue dedisti operam? Quid denique mihi optatus contingere abs TE et praeclarius potuit, quam quod me TIBI hodie in hunc amplissimum locum comitem et ducenti elegisti, ut laudis et doctrinae TVAE non solum teles et auditor, sed et particeps et auctor quodammodo essem. Tot igitur tantaeque cause sunt, DOCTISSIME TZCHOECKELI, quae, et ut hodie laeter, et hunc honorem TIBI et laudem, quam reportasti gratuler, me mouent. Perge igitur eo, quo coepisti modo, et cogita, aduersariam TIBI paratam esse acerrimam, incredibilem omnium, qui TE et parentem TVVM nouerunt, expectationem, quam hac via ratione vincere et superare poteris, si totum TE ad imitandum paternas virtutes dederis in easque acriter intentus, eas expresseris. Quod quidem, ut TIBI suaderem, minime me impunit, quod putarem, TE non id, vel me non suadente, facturum esse, sed meus erga TE incredibilis amor, ut id facerem, a me postulauit, et quia sciebam, paternarum virtutum apud liberos esse iucundissimam commemorationem. Habebis praeterea, si parentis vestigia secutus fueris, hoc est, si virtuti, honestati, utilitati ciuium, cognatorum et amicorum TVORVM doctrinaeque, ut semper fecisti, gaudier operam dederis, maxima, et quae virum honestum vehementer mouere possunt, praemia, benevolentiam ciuium, amorem cognatorum, laudem gloriamque virorum dignitate atque honestate excellentium. De meo autem animo (quoniam vix est opus dicere, cum id TIBI minime sit ignotum) hoc velim TIBI habeas persuasum, meam erga TE benevolentiam, amicitiam et amorem nullo unquam tempore debitatum, aut deletum iri: Mihi autem, ut conserues amicitiam TVAM, humanissime TE rogo.

Scripsi Lipsiae d. xv. Octobr. CICIC CCLXXI.

ULB Halle
008 558 760

3




WORP



9806

No: 883.

COMMENTATIONVM
AD
CONSTITUTIONES IVLIANI IMP.
SPECIMEN II.



Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAE S I D E
CHRISTIANO GOTTLOR FINERTO



EX OFFICINA BREITKOFFIA.